Typhon ob uehementem impulſionem, quandoque 13
inſtar ardentis rotæ in gyrum agitatæ incenditur: arbores & nauigia prodigioſe conficiens. Quod ad πρηςῆρα quidam detorſerunt, quorum materia ferè eadem.

TVRBO vẽtꝰ qui & Typhon.

Turbo uentus ab aliqua mundi plaga certò præ- 14
ſcripta ſpirare minimè deprehenditur, ſed è nube deuolui: quoties ſcilicet oppoſiti uenti duo, ex oppoſitis nubibus egreſſi, concurrentes impetu magno & perualido commiſcentur, ac de uictoria inter ſe concertant. Quanquam de unius uenti eliſione ad anguloſum aut cauũ aliquod obſtaculum, etiam Turbo fieri poteſt: hoc à uortice Pliniano, ſeu Ecnephia differens, quo ſtridor à fragore.

Turbinis venti natura.

Turbo ab uno uento nonnunquã fieri poteſt: quan- 15
do uidelicet in cauo aliquo, uel anguloſo loco eliditur, in quo (perinde atque ſi aliquis ex oppoſita parte reluctaretur) conuoluitur. Qui quòd eundem ſæpius locum ambiat, ac ſe uertigine ipſa concitet, Turbo dici conſueuit: quem cum Typhone confundunt Philoſophi.

Non fit aquilonius Typhon, nec niualis: ſicuti nec 16
iacente niue Ecnephias. Et hæc de uentis uniuerſim & particulatim quod ad Meteorologum attinet ſatis erunt. Reliquum eſt, ut ad Hydrographorum & hodiernorum nautarum uentos, commodùm me conferam.

VEN-